

tuitur Canone Apostolorum 23.: imo insuper a THEOCTISTO Cæsareæ, et ALEXANDRO Jerosolymorum Episcopis fuit promotus Presbyter; quod non fecissent, si extitissent illi Canones. Equidem postea DEMETRIUS, mutato in ORIGENEM animo, excisionem illam objecit, quin tamen vel verbo innueret, eum idcirco violasse Apostolorum Canones. Canon igitur Nicænus 1. vel morem innuit Ecclesiæ, vel legem aliquam latam ab Episcopis, ORIGENIS occasione, qui se exciderat.

47. *Obj. II.* Synodus Trullana *Can. 2.*, Synodus Generalis VII. *Can. 1. 5. 10.*, Synodus Romana sub GREGORIO VII. ipsaque Tridentina *Sess. 25. de Reform. c. 1.* Ex Patribus vero S. JOANNES DAMASCENUS *Lib. 4. de fide Orthod.*, etc. illos Canones citant sub nomine *Apostolorum*. LEO IV. *in ep. ad Episcopos Britanniae* data anno 849: *Quibus, inquit, in omnibus judiciis Ecclesiasticis utimur, sunt Canones Apostolorum; ergo.*

R. D. A. Citant illos Canones sub nomine Apostolorum, quia ita illos citandi mos invaluerat, ob DIONYSIUM EXIGUUM, qui sub hoc nomine illos apud Latinos divulgaverat, unde passim Apostolorum dicebantur C. Ut indicarent, revera Apostolorum esse N. Patet responsio illustri exemplo URBANI II. qui sec. XI. cathedram D. Petri tenuit; dum *epist. ad Præpositum S. Juventii* apud GRATIANUM *Dist. 32. c. 6.* inquit: *Canones Apostolorum, scilicet 45. 46. hæreticorum baptismum lavacrum diaboli appellant; tum eos subdit una cum CYPRIANO merito a CORNELIO et STEPHANO fuisse reprehensos. En, Canones Apostolorum vocat; nec tamen credit, eos ab Apostolis conditos, secus enim eos merito reprehensos non diceret. LEO IV. ait illos in judiciis adhiberi; quia, cum saltem utilia continerent, ut ait ISIDORUS supra citatus, eos Ecclesia usu recepit; ac quidem ex parte solum, juxta GRATIANUM *Dist. 32. c. 6. cit. nimirum 50. priores, vel exclusis Canone 45. et 46. vel iis dando orthodoxum sensum.**

48. *Obj. II.* Juxta Correctores Romanos ad *Dist. 16. c. 4. Canones Apostolorum non sunt inter apocrypha deputandi*, quia eos recepit Synodus VI. quam HADRIANUS recepit. Item, juxta HINC MARUM Rhemens. qui *Opus. 55. Capit. de iis ipsis* inquit: *Sed B. Gelasius in catalogo.... nec inter apocrypha eos misit; ergo.*

R. Ad 1^{um}. D. Non sunt inter apocrypha deputandi aliquo sensu supra exposito C. Quatenus tribuuntur ipsis Apostolis, vel CLEMENTI, qui quasi ab Apostolis acceptos fertur scripsisse N. Eodem modo HINC MARUM explica; vel responde, quod notant Critici, eum incidisse in catalogum GELASII mendosum et mutilum; nam GELASIIUM revera eos misisse inter apocrypha, ex supra dictis liquet. Sed et HINC MARUS ipse ut supposititios asserit; prius enim dixerat: *Cæterum iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti creduntur.*

CAPUT II.

DE JURE PROPRIETATIS.

Jus activum, de quo *num. 3.* in jus proprietatis et jurisdictionis dividitur; utrumque enim juris activi naturam retinet, cum utrumque ex suo conceptu sit legitima potestas obligandi alios. At, misso jure jurisdictionis, quod huc non attinet, solum prius hic considerandum venit.

ARTICULUS I.

QUID SIT JUS PROPRIETATIS?

49. *Dico.* Jus proprietatis est potestas legitima, voluntate sua moraliter obligandi alios ad aliquid, sicque eorum restringendi libertatem, principaliter in favorem et bonum proprium obligantis. Definitio quoad rem et sensum est communis omnium, servatque bonæ definitionis leges, ut patebit ex nunc dicendis.

Dicitur 1^o. Potestas legitima, h. e. munita vel nixa lege aut naturali, aut divina, aut humana, in ordine vel ad licentiam actus, vel valorem; quod si enim nulla ei assistat lex, potestas non jus, sed vis et tyrannis erit. Triplicis verò generis leges hic discerni debent. 1. Leges, quæ facultatem tribuunt alicui de re pro sua voluntate disponendi. Sine his haberi jus proprietatis non potest, ab iisque potestas legitima oritur. 2. Leges, quæ reddunt facultatem de re licite disponendi. Istæ ad jus proprietatis non sunt absolute necessariæ; cum fieri possit, ut, etsi hic et nunc prohibeatur de re disponere; retineat tamen jus ad valide disponendum: sic qui vovit hos 100. aureos se daturum pauperi, postea testamento valide eosdem legat diviti, etsi peccet contra votum. 3. Leges, quæ pro certo solum tempore, certisque casibus reddunt dispositionem etiam invalidam. Illæ, etsi jus proprietatis ligent; impediunt; non tamen ideo simpliciter tollunt: sic pupillus et prodigus declaratus, etsi sine auctoritate tutoris non possint de rebus suis valide disponere in actu secundo, retinent tamen disponendi potestatem in actu primo, ac verum jus proprietatis, sicut potentia videndi retinetur noctu, cum actus secundus essentiam non constituat, sed supponat. Et patet inde, quia, sublato legis vinculo, mutatisque circumstantiis possunt, etiam in actu secundo, disponere valide, quin lex vel Princeps censeatur illis conferre jus novum proprietatis.

Dicitur 2^o. *Voluntate sua;* pendet enim a voluntate habentis jus, ab eaque mensuratur obligatio alterius; si enim habens jus eo cederet libere, ut v. g. si nollet te habere amplius obligatum ad restituendum, solvendum, vel daret facultatem auferendi, hoc ipso cessaret in te obligatio restituendi, solvendi, non auferendi. Hinc natum illud axioma juris: *volenti non fit injuria.*

R. J. 27. in 6. Per hoc quoque obligatio justitiæ, qua vi juris nostri alterum ligamus, se discriminat a pietatis aliarumque virtutum obligationibus, quarum remissio non est æque pendens a nostra voluntate; etsi enim pater vellet deobligare filium ab obligatione pietatis patri debitæ, ille tamen ea tenebitur; cum hæc obligatio filii non præcise dependeat a voluntate patris, sed inhaereat filio jam ante et aliunde imposita. Quod si demum jus proprietatis definias, ut illud datur etiam in Deo, *voluntas* illa non est necessario libera, cum Deus habeat jus strictissimum, ne blasphemetur, et tamen non libere, sed necessario nos obligat ad non blasphemandum.

Dicitur 3º. Moraliter obligandi alios, h. e. ne licite possint vel agere quid, vel omittere, quod possunt alias potentia solum physica. Hinc etiam jus proprietatis a mera licentia secernitur, quæ etiam dici potest potentia legitima percipiendi commodum, quin vi illius possis obligare alios, eorumque libertatem restringere.

Dicitur 4º. Principaliter in bonum proprium obligantis. Nimirum jus proprietatis directe et primario sui commodum subjecti jus habentis respicit, sive deinde hoc commodum positivum sit, ut v. g. re sua, domo, equo uti; sive negativum, ut non diffamari; sive quid distinctum a propriæ libertatis commodo, ut in datis exemplis se habet; sive indistinctum, ut si quis rem suam libere donet, destruat, unde non aliud ei commodum nascitur, quam plenæ exercitium libertatis.

Porro inde differentia juris proprietatis a jure jurisdictionis intelligitur, quod principaliter e contra bonum subditorum respicit; est enim gubernativum, legislativum, ejusque actus sunt præcipere, prohibere, ferre sententiam, ligare, absolvere, punire, præmiari, quæ omnia in aliorum, qui obligantur, vel certe communitatis commodum ordinantur.

50. *Obj. I.* Datur aliquando jus proprietatis ad actus illicitos et injustos; sic qui rem primo vendit Sempronio, sed non tradit, si postea vendat eandem secundo et tradat Mævio, valida est venditio secunda: qui sponsalia contraxit cum Bertha, postea valide contrahit et init matrimonium cum alia, sed illicite, quia contra jus Berthæ; ergo jus non bene dicitur potestas legitima; neque enim ulla lex dare facultatem potest agendi male.

R. D. *Ant.* Datur jus proprietatis ad actus qua illicitos et injustos N. Qua validos C. et N. *Cons. Prob. D.* Nulla lex dare facultatem potest licite agendi male C. *valide N.* Lex diverso modo dare facultatem potest agendi, 1º. ut actum reddat simul validum et licitum: 2º. ut tantummodo validum. Si prius, jus erit potestas legitima agendi licite et valide. Si alterum, erit potestas legitima agendi valide. Quod ad constituendum jus proprietatis sufficit, cum, ut paulo ante dictum, ad illud non requiratur necessario, ut leges reddant actum semper licitum. Cujus ulterior ratio est, quod actus possit esse oppositus juri divino, non humano; vel juri humano solum personali, non reali. Ita omnis actus illicitus adversatur juri divino, non semper humano quoad valorem. Omni actu injusto læditur jus-humanum, non tamen semper personale et reale simul, sed aliquando duntaxat personale, sicque lædens alterum in jure personali, quod solum habuit, non ideo læsit in jure reali, quod ex supposito non habuit; ac proinde potuit jus reale, saltem valide, transferre in alterum, lege humana quoad hoc

assistente. Sicque se res in datis exemplis habet. Vi venditionis primæ Sempronius acquisierat solum jus ad rem vel personale; similiter et Bertha, ut dicitur *Art. seq.*: potuit igitur venditor, jus reale, quod retinuit, per traditionem transferre in alterum; similiter inire matrimonium vi juris realis, ita disponentibus legibus.

Neque dicas: Sic dabitur jus contra jus, quod est absurdum. Item, non sequitur: venditor retinet jus reale *transferibile*, ergo habet *jus transferendi*; nam transferendo in re agit contra jus ad rem, vel personale emptoris primi. Nam *quoad 1ºm. R. D.* Dabitur jus contra jus ejusdem ordinis, et ad eosdem terminos N. Diversi ordinis, ad terminos diversos C. In quo nec absurditas, nec implicantia deprehenditur. Atque ita in datis exemplis fit. Venditio secunda injusta est, in quantum juri personali Sempronii opponitur; non verò in quantum venditor retinet jus reale vendendi et tradendi alteri, eo quod venditionem hanc secundam jura velint esse validam. Idem est de matrimonio inito contra fidem priorum sponsalium; et id genus pluribus aliis. Ac licet actus ejusmodi illicitus sit juri divino oppositus, retinet tamen homo potestatem legitimam adversus homines, qui illius actus aliquo modo injustos, vel illicitos tenentur permittere, et, ubi ita jura voluerint, habere pro validis. *Ad 2ºm. R. D.* Non sequitur: ergo habet jus transferendi licite C. *valide N.*

51. *Obj. II.* Infans (idem est de amente) habet jus proprietatis; qui enim ei quid furto aufert, peccat contra justitiam, nec tamen voluntate sua potest obligare alios, cum eam nondum per ætatem possit elicere; ergo frustra hæc adduntur, *voluntate sua. Conf. 1.* Dormientes, ebrii non habent voluntatem obligandi alios, semper tamen jus proprietatis retinent in sua, veramque iis inferret injuriam, qui de rebus eorum furto quid tolleret. *Conf. 2.* Imo multis vera inferitur injuria, etsi jus, quod habent, velint remittere, ut v. g. pupillo, quocum volente initus contractus, si eo deteriore conditionem suam redderet, est nullus: marito, quo utul consentiente, tamen adulterium quis committeret cum ejusdem uxore: Clerico percussorem libenter patienti.

R. D. Nec tamen potest per voluntatem suam physice obligare alios C. moraliter, civiliter, aut fictione juris N. Habet suam voluntatem in ipsa Republica, vel tutore representante personam infantis, jure sic disponente, ut voluntas tutoris esset, et censeretur voluntas infantis, et consequenter quidquid tutor circa bona infantis disponderet, censeretur infans fictione juris disposuisse. Sic idem petit baptismum per voluntatem patrinorum.

Ad Conf. 1ºm. R. D. Non habent voluntatem formalem actualem C. habituales N. Sufficit autem voluntas habitualis, sive voluntas non retractata, ad obligandos alios, ut patet in voluntate Legislatoris respectu subditorum; tamdiu enim illa obligat, quamdiu non est retractata.

Ad Conf. 2ºm. R. D. Illis fit injuria, etsi remittant efficaciter jus, quod habent N. etsi ineffaciter C. Tales nequeunt efficaciter jus suum remittere; ideoque habent potestatem obligandi alios, horum libertatem restringendi voluntate sua non libera, sed necessaria, nimirum moraliter, ex lege quam necessario acceptare debent. Hinc etsi voluntas etiam humana, qua quis vi juris proprietatis restringit libertatem aliorum, sit ut plurimum,

non tamen semper necessario debet esse libera, sed potest esse necessaria, ut vel ex iis ipsis exemplis evincitur.

Obj. III. Posita juris proprietatis definitio, in variis aliis deficit; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1^o. datur vera injuria sine potestate obligandi alium in favorem suum; qui enim mendacio, vel fraude inducit alium, ne me hæredem scribat, vel beneficium mihi conferat, infert mihi injuriam, licet non habeam potestatem legitimam obligandi testatorem, ut me hæredem scribat, vel collatorem, ut beneficium mihi conferat: atqui tamen vera injuria, verum jus proprietatis supponit; ergo hoc potest esse absque potestate legitima.

2^o. Licite et honeste quis impedit alterum, qui proprio gladio attentat homicidium vel vulnerationem alterius; ergo jus proprietatis non est necessario potestas restringendi libertatem alterius, alioquin et meam restringere posset, ne ipsum in usu gladii proprii impedirem.

3^o. Usarius, qui habet usum nudum, e. g. ædium, habet potestatem legitimam restringendi libertatem aliorum circa usum ædium in commodum proprium: atqui tamen non habet jus proprietatis *L. I. ff. de Usu et Habit. Idem est de Commodatario*; ergo.

4^o. Principes et quivis superior habens jus jurisdictionis, potest obligare alios in proprium commodum; ergo hoc non distinguitur a jure proprietatis. *Prob. Ant.* Nam vi juris jurisdictionis potest præcipere, prohibere etiam principaliter et directe, quæ faciunt ad utilitatem propriam; ergo.

R. N. Ant. Ad prob. 1^{am}. D. Infert mihi injuriam ratione ablationis beneficii, vel hæreditatis *N.* adhuc enim ad illa jus non habeo. Ratione infamationis noxiæ *C.* Etsi enim nec ad hæreditatem, nec beneficium jus habeam, habeo tamen jus, ne quis me injusta infamatione a spe juste concepta et consecutione boni dejiciat. Unde etsi in casu restitutio pro hæreditate ipsa, vel beneficio fieri non debeat; debet pro æstimatione spei habitæ, quæ est quid æstimabile pretio.

Ad prob. 2^{am}. R. D. Cons. Ergo non est potestas restringendi libertatem alterius, quando hic et nunc habetur ex superiore lege jus contra ipsum dominum, ut in dato casu *C.* Si hoc non *N.*

Ad prob. 3^{am}. R. D. min. Non habet jus proprietatis in ædes simpliciter et absolute sumptas *C.* in illarum usum *N.* Jus proprietatis in domo ipsa permanet penes dominum, qui domus usum alteri concessit, usufructuarius vero ad hunc usum sibi concessum jus proprietatis obtinet.

Ad prob. 4^{am}. R. D. Ant. Potest hoc directe et primario *N.* indirecte ac secundario *C.* Eadem est ad probationem responsio. Potestatem gubernandi superior accipit, ut procuret bonum subditorum; ex hoc enim fine, vel natura, vel Deus, vel ipsi subditi, transtulerunt in superiores potestatem; quod vero superior ex subditorum felicitate et ipse commodum referat; vel quod honorificum sit et æstimabile posse leges dare, juri jurisdictionis per accidens est; nec ab hoc directe intenditur. Nihilominus tamen Princeps vel superior in ipsum jus jurisdictionis habet jus proprietatis, vi cujus potest obligare omnes, ne se in usu suæ jurisdictionis impediatur; quod ita obligare possit alios vi hujus juris proprietatis, est commodum directe ipsius Principis proprium, sed profluens ex jure proprietatis in ipsum jus jurisdictionis; non vero ex hoc.

ARTICULUS II.

QUID SIT JUS IN RE, SIVE REALE, ET JUS AD REM, SIVE PERSONALE?

32. Jus proprietatis activum in jus in re, quod etiam *reale* dicitur, et jus ad rem, quod *personale* vocari solet, dividitur. Nobilissima hæc juris divisio est; quidquid enim est humani juris, ad alterutrum, vel jus reale, vel personale reducitur. Nec alio ex capite nobis administratur justitia, quam quod pro nobis vel jus reale, vel personale stet. Res vero, circa quas versatur jus humanum, vel corporales, vel incorporales sunt. *Corporales* dicuntur, quæ vi suæ naturæ tangi possunt, ut v. g. fundus, aurum. *Incorporales*, quæ etsi moraliter inhæreant corpori, tangi tamen non possunt, quia in denominatione quadam morali consistunt. Ejusmodi sunt varia jura, ut jus venandi; jus adeundi hæreditatem, jus servitutis, jus patronatus ac similia; item omnes actiones, quibus in judicio, quod nobis debetur, prosequimur. Respectu utriusque generis dari potest jus in re, vel ad rem.

33. *Dico I.* Jus in re, vel reale est, vi cujus res ipsa nobis devincta, seu obligata est, vel persona considerata ut res. Est tamen hæc declaratio potius juris in re, quam exacta definitio; retinetur tamen, quia communior est, et plerumque usitata auctoribus. Cæterum definiri posset: potestas legitima nobis obligatam habendi ipsam rem.

Dixi 1^o. Vi cujus res ipsa nobis obligata est, ubicumque nimirum sit; jus enim in re non tantum ea respicit, et nobis obligat, quæ actu possidemus, sed etiam, quorum quidem domini sumus, sed possessio est penes alterum; tunc enim in judicio petitorio possum convenire possessorem: possem etiam rem illam vendere, legare, donare; sique possidere desineret, continuo, citra ullius injuriam, occupare; jus enim reale rem ita afficit, ut ad quemcumque devenerit, hoc cum onere transeat, ut mihi illam vindicare possim; nisi quid obstet aliud, puta lex, vel conventio, ut contingit circa rem datam pignori, aut in feudum, vel emphyteusim; dominus enim retinet jus in re, nequit tamen in præjudicium partis alterius de ea pro libitu disponere antequam cesset contractus.

Dixi 2^o. Vel persona considerata ut res, h. e. in ratione *patientis*, ut servus, quatenus est in nostro commercio; in eum enim qua talem dominus jus reale habet, debetque pati servus ita consideratus, ut vendatur, huc illuc transferatur, atque ita æquiparatur pecudī *L. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.* et censetur legatus legato fundo cum omnibus rebus *L. 32. ff. de Legat.* Licet consideratus *qua persona* possit hæres institui, loco domini contrahere, nec tunc æquiparetur pecudī, cum canis meus hæres institui non possit; sed ad personas *L. 14. ff. de O. et A.* pertineat.

34. *Dico II.* Jus ad rem, vel personale est, vi cujus persona immediate mihi devincta, sive obligata est ad præstandum aliquid. Etiam hæc declaratio magis quam definitio est; recepta tamen, ut illa prior juris in re; alias sic quoque definiri potest: potestas legitima habendi nobis immediate personam obligatam ad præstandum aliquid.